

QUAER. 2^o *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari puellis, quae sine dote iam nupserunt?*

Resp. Affirm., si agatur de puellis determinatis; quia praesumitur, testatorem voluisse ipsis omnino providere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nuptiae decenter vivant. — Secus, si de indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nubentibus subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitent. — S. Lig. ibid.

831. — QAER. 3^o *Quid veniat in legatis nomine MOBILIIUM, seu bonorum MOBILIIUM?*

Resp. 1^o Bona mobilia ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia, etc. Idem sonant *bona mobilia, res mobiles, mobile* vel etiam *mobilia* cum oppositione ad *immobilia*.

Resp. 2^o *Mobilia*, sine addito et sine determinatione, ex *Iure Gallico* dicuntur omnia bona, quae non sunt immobilia, exceptis pecunia, libris, gemmis, numismatibus, debitis activis, instrumentis artium, lintheaminibus ad usum corporis, equis, armis, granis, vino, foeno, et aliis similibus. Adde ea, circa quae commercium particulare exercetur.

Resp. 3^o Ex eodem *Iure Gallico* supellex seu mobilia domum praecise instrumenta omnino restringuntur ad ea, quae ordinantur ad usum, vel habitationis ornamentum, ut sedilia, tabulae, armaria, etc.

Hinc 1^o sunt mobilia *simpliciter*, seu ex 2^a classe, supellex argentea, animalia, exceptis equis, lintheamina, exceptis iis, quae ad usum corporis adhibentur.

2^o Si dicat testator: *Lego mobilia Caio, et immobilia Sempronio, Caius* ius habet ad omnia bona mobilia, quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione mobilium ad immobilia. — Gousset, *Code commenté* art. 533. — Rogron, ibid.

3^o Si legatum sic ferat: *Lego Titio omnia mobilia mea, vel bona mobilia, vel totalitatem mobilium; Titius* ius habet ad omnia bona non immobilia, quia vox *mobilia* hic non sumitur *sine addito*. — Gousset, n. 807., et *Code commenté* art. 533. — Rogron, ibid.

832. — QAER. 4^o *An summus Pontifex possit legata et alias ultimas voluntates testatorum commutare, quando de causis piis agitur?*

Resp. Affirm., si adsit iusta ratio, quia a Christo institutus est piarum causarum administrator, ut possit de iis disponere, prouti necessitas et spiritualis utilitas exigit. Idem dicendum est de Principe quoad legata profana in favorem Reipublicae constituta. — S. Lig. n. 931.

QUAER. 5^o *An Episcopi pias dispositiones iusta de causa commutare possint?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia ex *Trid.* sess. 22. cap. 8. imponitur Episcopis sollicitudo ultimas voluntates sedulo exe-

quendi. — S. Lig. n. 391. — Excipiendi tamen *probabilius* sunt casus, qui si a testatore praevisi fuissent, certo effecissent, ut aliter disponderet, v. gr. si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro Ecclesia, et haec vasis non indigeat, vel si legatum ad finem suum applicari nequeat, quia non sufficit, vel quia ad usum intentum deservire non potest.

PUNCTUM IV. *De revocatione testamentorum* (14).

833. — I. Testamentum, sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. — *Ita ex omni iure.*

II. Revocatio testamenti duplici modo fieri potest:

1^o *Expresse*, seu 1^o per destructionem testamenti; 2^o per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; 3^o per testamentum novum priori contrarium: sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae.

2^o *Tacite*, per donationem, venditionem, permutationem, destructionem, aut quamlibet dispositionem rei legatae, qua mutatio testatoris manifestatur (15).

Refertur ad revocationem testamenti eius caducitas, quae habetur, quando dispositiones testamentariae, etsi validae a principio, infirmae tamen evadunt ob quasdam circumstantias: v. g. si legatarius moriatur ante testatorem, vel ante executionem alicuius conditionis, si res legata pereat, etc.

PUNCTUM V. *De executore testamenti.*

834. — Testamenti executor is est, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exequendas. Nullo autem nominato, executio testamenti ad heredes pertinet. Circa testamenti executionem haec tenenda sunt (16).

1^o Ut quis sit executor testamenti, necesse est, ut capacitatem sese obligandi habeat. Hinc executores esse nequeunt interdicti, minores, etiam consentiente tutore, et ex *Iure Gallico*, uxores sine mariti consensu. Executores esse possunt Religiosi ex licentia Praelati sui, nisi Ordinis Regula obstet.

(14) De alia causa, ob quam testamenta infirmantur, liberorum scilicet praeteritione, fac consulas Iurisconsultos.

(15) Etiam spectato iure gallico, quod Auctor hoc loco sequitur, haec non ad

tacitam testamenti revocationem pertinent, sed ad legatorum adimpletionem.

(16) Quae Auctor hoc loco subiicit, ea ad ius gallicum fere pertinent.

2^o Plures executores testamenti institui possunt, et uno absente, alter ad testamenti executionem procedere potest. Testamenti executor hoc munus ad suos heredes non transmittit.

3^o Executor invigilare debet, 1^o ut apponantur sigilla, si inter heredes sint minores, interdicti vel absentes; 2^o ut fiat inventarium praesente vel rite advocato proximo herede; 3^o ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; 4^o ut executionem testamenti urgeat.

4^o Impensae, quae fiunt ab executore, muneris sui adimplendi causa, ex rebus hereditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur.

§. III. De donatione mortis causa.

835. — Donatio mortis causa ea est, quae intuitu mortis fit: est autem ex natura sua revocabilis.

De iure communi valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus, scilicet 1^o fieri debet intuitu mortis, secus donatio *inter vivos* censeretur; 2^o acceptari debet ante mortem donatoris ab ipso donatario; 3^o si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur (17), nec ad eius heredes transit (18). — S. Lig. *ibid.* n. 741.

De *Iure Gallico* donatio mortis causa non admittitur (*). Declaratur enim in art. 893., neminem de bonis suis disponere posse gratuito, nisi per dispositionem *inter vivos*, aut per testamentum in formis a lege praescriptis. Hinc de ea dicendum videtur, sicut de testamentis, quae formalitatibus carent. Videtur tamen certo valere tamquam donatio manualis *inter vivos*, quam lex non afficit, sed quoad ipsam tantum actionem denegat. Et proinde idem dicendum videtur de donationibus mortis causa. — Gousset, *Code commenté*, art. 8. et *varii Iurisperiti*.

836. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An ille, cui mortis causa donata est res mobilis, possit illam occulte recipere, mortuo donatore?*

Resp. Affirm. saltem *probabilius*, modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti; habet enim ius in re donata; ergo iure suo utitur. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

(17) Vide tamen, quae de his dicta fuerunt sup. n. 812.

(18) Itidem revocatur donatio mortis causa, si donator periculo supervixerit.

(*) Neque ex iure italico: donatio sci-

licet vel est inter vivos et irrevocabilis vel si post mortem valere debet donatoris et ante mortem revocabilis est, erit legatum aut testamentum.

QUAER. 2^o *An valeat donatio manualis ab ipso facta sub ea conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?*

Resp. Affirm. Etenim 1^o valet ut donatio mortis causa, etiam de *Iure Gallico*, quod donationibus manualibus non obstat; 2^o valet etiam quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

QUAER. 3^o *An eadem donatio valeat sub conditione ut restituatur, si repetatur?*

Resp. Affirm. probabilius, quamvis non valeat ut donatio *inter vivos*, quae postulat, ut donator re sua se spoliaret irrevocabiliter; valere tamen potest tanquam donatio mortis causa propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet nulla mortis mentio fiat.

837. **Resolves.** — 1^o Non est donatio mortis causa, sed *inter vivos*, dispositio, qua quis nunc et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cuius usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

2^o Nec ut donationes mortis causa habendae sunt, sed *inter vivos*, dispositiones, quibus aegroti dant actualiter et irrevocabiliter personis praesentibus, v. gr. parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles absque ulla conditione mortem respiciente.

3^o Vim donationis mortis causa non habent promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis..., neque vi talis promissionis quispiam poterit vel quid minimum praetendere; quia promissiones illae non aliud solent denotare quam merum propositum, seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne famuli et amici, etc... facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur, atque adeo res quasvis, praetextu promissionis vel donationis, occulte surripiant. *Recole dicta supra de promissione*, n. 800. — V. *Casus*, n. 811. et seq.

§. IV. De substitutione et fideicommissis.

838. — *Substitutio* licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quae generatim sumpta definitur; dispositio, qua quis vocatur ad hereditatem vel legatum in alterius defectu.

Duplex est substitutio: alia *fideicommissaria*, quae idem est ac fideicommissum; et alia *directa*, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hereditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit.

Fideicommissum, seu melius *substitutio fideicommissaria* est, qua heres testamento institutus vel ab intestato veniens a defuncto gravatur et obligatur, ut hereditatem totam, vel eius partem alteri restituat seu tradat. — Schmalzgr. lib. 3. tit. 26. n. 126.

Quaesita. — **QUAER.** 1^o *Quaenam substitutiones Iure Gallico prohibeantur?*

Resp. Prohibentur omnes dispositiones, quibus aliquis vocatur ad aliquid accipiendum sub onere illud servandi, et dein reddendi tertio (19). Hinc non prohibentur substitutiones, in quibus bona non debent aliquandiu servari, sed statim ad tertium transmitti.

839. — **QUAER.** 2^o *Quaenam sint substitutiones a Iure Gallico permissae?*

Resp. 1^o Valent substitutiones directae, seu testamentum, quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si legatum accipere nolit vel non possit (art. 898.); 2^o item donationes, quibus ususfructus uni, et rei proprietas alteri datur, non habendae sunt ut substitutiones (20), cum uterque statim fiat rei sibi legatae dominus (art. 899.); 3^o valent dispositiones, quibus aliquis bona, quorum liberam dispositionem habet, alicui donat cum onere ea remittendi uni aut pluribus ex descendibus ipsius donatarii, usque ad secundum gradum tantum. — Ita lex 17 Maii 1828, *modificans Cod. civ.* art. 1048. et seq. (*).

QUAER. 3^o *An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae lege prohibitae?*

Resp. Videtur eadem esse quaestio ac pro testamentis, quae formalitatibus destituuntur; unde possessori ante iudicis sententiam favendum est (21).

840. **QUAER.** 4^o — *An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis, seu sub forma donationis simulatae, testamenti aut legati ficti in favorem alicuius privati?*

Resp. Affirm., si agatur de donationibus manualibus vel de rebus, quae diu conservari non debent ante transmissionem; vel etiam *probabiliter*, si non debent conservari usque ad mortem donatarii; quia lege non prohibentur (22).

Quod spectat ad alias donationes fideicommissarias, respondendum est sicut de testamentis ad pias causas quae formis careant. — *Recolle dicta sup.* n. 818. (23). — *V. Casus*, n. 867. st seq.

(19) Ius Gallicum (art. 896.) dispositiones istas non interdicat eo sensu, ut irrita sit omnino institutio heredis aut legatarii, sed legatarium ab onere aliis accepta servandi ac tradendi eximit.

(20) Vi art. 898. neque dispositiones, quas priori loco Auctor innuit, habendae sunt ut *substitutiones*. Quocirca ad quaestionem haec propositam reipsa ea tantum pertinent, quae mox tertio loco habentur.

(*) Art. 1048. id permittit pro descen-

dentibus solum usque ad primum gradum. Lex haec citata anni 1826. quae amplius permittit, abrogata est 7. Maii 1849. Cf. el. Allegre *Le Cod. Civ. comm.* ad art. 1048.

(21) Conf. dicta sup. n. 786.

(22) Nimirum si per leges hae dispositiones non prohibentur, nulla suppetit ratio, propter quam impugnari ipsae ab iis possint, quorum forte interesset, illas executioni non mandari.

(23) Constat ex sequenti declaratione

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO

841. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum (1) *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eandem in individuo (2) restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur; contractus, quo alicui petenti rei alicuius usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. Et in hoc a commodato *precarium* differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc *commodatum* differt 1^o a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2^o a deposito, quo res traditur non ad usum, sed ad custodiam; 3^o a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Obiectum porro commodati aut precarii esse possunt res quaecumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positae, modo consumptibiles non sint primo usu, cui destinantur.

Obligationes commodatarii.

842. — Generatim uti debet re sibi commodata tamquam bonus paterfamilias; speciatim vero

1^o Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter iudicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

S. Poenitentiariae 23. Iun. 1844. Proposita enim sequenti quaestione:

Eudorius caelibatarius, heredibus necessarius destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem, Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatim Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem, postulatque ab ipso, ut eandem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudorio hereditatem integram servat, ex eo quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit.

Sacra Poenitentiaría respondet, in casu exposito Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cognitam, pro foro conscientiae.

(1) Imo in hac definitione alii solent dicere, *certi usus gratia*, vel, *certo praescripto utendi fine et modo*; qua phrasi includi solet etiam *tempus*, non expresse idcirco semper determinandum.

(2) Auctor utitur modo loquendi proprio philosophorum magis, quam iuristarum; et idcirco rem restituendam dicit *in individuo*, si fuerit commodata, *in eadem autem specie*, si data mutuo fuerit. Aliter vero iuristae, qui in casu priori rem in *eadem specie*, in posteriori autem restituendam dicunt in *eodem genere*.